

universalis tribuere possit decretis quæ primitus fuerunt condita pro aliqua ecclesia particulari, aut privatis personis.

18. Collectiones juris antiqui reducuntur ad constitutiones et canones Apostolorum, ad collectionem Joannis Scholastici, Trullanam, Photianam, Dionysii Exigui et Isidori Mercatoris vel Peccatoris.

a) *Constitutiones Apostolicæ*, quæ octo libris continentur, neque ab Apostolis, ueque a Sto Clemente fuerunt conscriptæ; revera multa referunt quæ cum traditionibus Ecclesiæ Romanæ non concordant, v. g. prohibent absolute quartum conjugium, condemnant baptismum ab hæreticis collatum. Licet incerti sint auctoris et in pluribus corruptæ, multa tamen complectuntur maxime utilia canonistis ad illustrandam disciplinam primævorum temporum.

b) *Canones Apostolorum*, qui leguntur post *Decretum Gratiani*, non sunt opus genuinum Apostolorum, aut alienjus viri apostolici; nam plura continent Apostolorum disciplinæ et catholicæ doctrinæ contraria, e. g. excludunt a canone scripturarum libros Tobiae, Judith et Sapientiæ et includunt epistolas Sti Clementis; multa habentur quæ non possunt componi cum ætate Apostolorum, v. g. dissertationes circa erectionem parochiarum. Sunt monumenta vetustissima, partim integra et partim interpolata, quæ in pluribus locis exhibent insigne monumentum disciplinæ ecclesiasticæ per priora sæcula.

c) Tertia collectio, quæ in Oriente fuit vulgata, est *Joannis Antiocheni*, qui in 50 titulos collegit omnia monumenta juris ecclesiastici. In Oriente prodierunt duæ aliæ collectiones, scilicet *Trullana* et *Photiana*, a Photio, qui fuit auctor schismatis græci. Hæ collectiones cum cautela sunt legendæ, quia apud Græcos jam apparet animus ad schisma proclivis.

d) In Occidente, duæ collectiones principales fuerunt